

ANIMADVERSIONES IN SCHEMA DE SACRIS
ORDINIBUS (SCHEMA 180, de Ponti-
ficali, 12).

Post longas dubitationes, aliquid vestrae considerationi proponere audeo, antequam finem imponamus his sessionibus, in quibus fraterno animo et familiari colloquio studia, experientias et sollicitudines invicem communicavimus. Timeo ne aliis molestiae, aliis fastidio sim, sed rogo ut parcatis mihi ut invitus breviter agam, quia movet me anxietas conscientiae et obligatio fidelitatis erga vos omnes.

Liceat imprimis referre testimonium admirationis et laudis nostris carissimis Peritis, qui his diebus praebuerunt tot eruditionis et indefessi laboris thesauros.

Sed ex recognitione Sacrorum Ordinum his diebus facta, mihi -et forsan aliis sodalibus- aliqua dubia et anxietates conscientiae suscitata sunt.

Libenter agnosco eruditionem clarissimi Relatoris eiusque famam atque nobile studium pro vetustissimis Liturgiae monumentis investigandis.

In recognitione ergo Libri Pontificalis sapienter et fructuose adlaboratum est. Sed antequam tanti laboris fructus approbationi Summi Pontificis proponatur, sunt quidam rei adspectus, pauci, sed magni momenti, uti opinor, quos ~~xxxxxx~~ liceat adhuc coram vobis proponere.

I.- DE CONSECRATIONE EPISCOPALI. Disceptatio de hac re, nescio qua de causa, difficilis evasit. Conclusio et suffragatio, inter alia quae omnibus libenter placent, haec consecatoria secum fert:

- a) Proponere Summo Pontifici NOVAM FORMULAM CONSECRATIONIS EPISCOPALIS, E DOCUMENTIS SAECULI III DESUMTAM;
- b) Exinde OMNINO EXCLUDITUR PRAEFATIO CONSECRATIONIS HUC-USQUE VIGENS;
- c) Item OMNINO EXCLUDITUR FORMA SACRAMENTALIS, QUAE ESSENTIALIS DECLARATA EST a Suprema Auctoritate Apostolica in Constitutione Ap. "Sacramentum Ordinis".

Iam vero, ut in re tam gravi nostra agendi ratio aequa probari posset, quaedam conditiones concurrere deberent, scilicet:

- a) Ut gravibus rationibus CONSTARET FORMULAM CONSECRATIONIS HUCUSQUE EXTANTEM OMNIMO INEPTAM ESSE UT PERFICERETUR, alia purgando, alia addendo, iuxta normam Concilii Vaticani: "ut novae formae ex formis iam extantibus ORGANICE COALESCANT"; Quod iterum nobis commendavit Summus Pontifex: "Quaelibet innovatio COHAERENTIAM ET CONCORDIAM cum sana traditione preeferat, et NOVAE FORMAE E FORMIS IAM EXSTANTIBUS QUASI SUA SPONTE efflorescant."

b) Cum nova formula proposita induat rationem formae sacramentalis, ideoque sit IN RATIONE SIGNI, certo constare poteret quod ipsa melius et perfectius quam formula hucusque existans significet actionem sacramentalem eiusque effectus. Id est, certo constare deberet quod non contineat ullam ambiguetatem et quod nullum omittat ex praecipuis muniberibus quae ordinis Episcopalis propria sunt.

Oportebat enim unum textum cum alio conferre, et forsan in columnis parallelis exhibere, sicut mos erat in Concilio, ut facile perpendere possemus quibus notis formula proposita prae hodierna fulgeat.

Sed hoc non factum est et e contra ego, qui non sum rei peritus, aliqua notavi in quibus nova formula primo intuitu videtur obscurior.

Sic, exempli gratia, conferantur verba essentialia sacramenti hodiernae formulae cum his qui uti essentialia a Relatore proponuntur, si Auctoritas Suprema id decernat:

TEXTUS HODIERNUS:

COMPLE IN SACERDOTE TUO
MINISTERII TUI SUMMAM...
etc.

TEXTUS SCHEMATIS:

NUNC EFFUNDE EAM VIRTUTEM,
QUAE A TE EST, SPIRITUM PRIN-
CIPALEM... etc.

~~xxix~~ De potestate regendi Ecclesiam, idem dicendum:

TEXTUS HODIERNUS:

Fuse loquitur de potesta-
te clavium, de auctoritate
regendi, etc.

TEXTUS SCHEMATIS:

Ut pascat gregem sanctum tuum

Sed mihi in dubium venit utrum illa verba "Spiritus principalis" habeant sufficientem vim significativam sacramenti; utrum "pascere gregem" quis interpretari posset unice de po- testate docendi vel ~~sanctificandi~~, exclusa auctoritate regi- minis.

Ex his omnibus supra relatis credo in Relatione nobis non data esse elementa iudicii sufficientia ut rem tenti mo- menti decernemus, Salva tamen sit reverentia et maxima consideratio erga opiniones sodalium, qui alitor a me sen- tire possent.

II.- DE ORDINATIONE PRAESBYTERORUM, id tantum notare licet:

Discepitavimus de opportunitate significandi in ritu ministerium sacerdotis erga Sacratissimam Eucharistiam, et quaesivimus verba et locum ubi aptius haec dicerentur.

Vidimus in schemate aliquid innui, sed insufficienter, uti operati sumus, in verbis desumptis e Decreto conciliari "Praesbyterorum Ordinis", iuxta notulam ad calcem textus.

Postea comprobavi illam citationem Concilii ita immutatam esse ut insufficientis et obscura visa esset.

TEXTUS SCHEMATICIS:

"Per manus vestras super altare incruenter in mysterio offeretur"

TEXTUS CONCILII:

"Per manus eorum (i.e. Praesbyterorum), nomine totius Ecclesiae, in Eucharistia incruente et SACRAMENTALITER offertur".

Tota ergo illa quaestio nostra facile solvitur, si textus Concilii integer admittitur. Sic ritus Ordinationis aperte de ministerio sacerdotali erga Eucharistiam loquuntur prout expedire nobis visum est.

Iterum vos rogo: parcite mihi. Maxima sinceritate vobis locutus sum et officio constienciae satisfeci.

Gratias.